



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

4. Rectitudo Parietis-Spei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

bonitas finis, propter quã experiuntur, supernaturalis est. Quare rectè præscribitur in Catechismo, *Spes est virtus divinitus infusa, per quam certa cum fiducia, nostra salutis, & æterna vita bona expectantur.* Quæcumque enim ad æternam vitam referuntur, sive ut causa, sive ut medium, sive ut effectus, quamvis temporalia sint, & inter sublunaria numerentur, æternis jure accensentur.

## ARTICULUS IV.

## RECTITUDO

*Parietis Spei.*

EST illa quoque laus Parietis haud minima, si ad normam rectissimè adsurgat: quod maximè spectandum in ejus constructione. Quare observet Architectus Christianus, ut Spei suæ parietem erigat ad normam, sitque rectissimus. Caveat ne inclinetur ad vana, ne deflectat ad illicita, ne, incurvetur versus terram. Multi sunt, qui sperent, sed non in Domino: fiduciam suam habent in vetitis artibus, commerciis, subsidiis: Hi clū tentationibus oppugnantur, etsi non omninò statim desperent, tamen desperabundis sunt similes; diffidentibus, quàm sperantibus viciniore. Quod dum animadvertunt hostes nostri capitales Dæmones, facillimè hominem invadunt, & animum, velut propugnaculum cui inhiant, occupant. Quando enim inclinatus est paries facillimè corruit, & totum ædificium subvertitur. Quo sensu Psalmista dicebat: Psal. LXI. *Quousque irruitis in hominem, interficite universi vos, tanquam parieti inclinato & materia depulsa?* Nimirum, facitis sicut hostes, qui, ut parietem incli-

incli-

inclinatum vident, irruunt, ut totus concidat: dum minatur ruinam Paries, hostibus est opportunum, ut ad terram deiciant: & sanè facile sine magno impulsu ruat. Quare frequens est similitudo apud Poëtas, à pariete, qui ubi facit inclinari, facillimè corruit.

*Cum coepit quassata Domus subsidere, partes  
In proclinas omne recumbit opus.*  
canebat quidam.

## ARTICVLVS V.

## FIRMITAS

*Parietis Spei.*

**D**EBET Spei Paries esse firmus. Qui sperat in Domino, eiusque auxilio non debet nutare, non vacillare, non moveri in hanc illamve partem, denique, non debet diffidere. Sperantem in Domino exclamare oportet cum Jobo: (a) *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* Et cum Davide: (b) *si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat aduersum me praelium, in hoc ego sperabo.* Et cum Paulo Apostolo. Certus sum, quia neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque creatura alia poterit nos separare à Caritate DEI, quae est in Christo IESU (c) Ab hac firmitate laudatur, quis alius credentium Pater Abraham, de quo Apostolus: (d) *Contra Spem in Spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, Non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam DEI non hesitavit diffidentia.*

(a) Job XIII. 15. (b) Psal. XXVI. 3. (c) Rom. VIII. 38 (d) Rom. IV. 19.